

parum retere videtur, utrum duplici contractu talia beneficia permutentur, et dicatur; uno contractu absolute permuto tecum beneficium mihi incorporatum, altero autem possessiones, quas beneficium meum habet, et volo, ut pecunia recompenses id, in quo possessiones mei beneficii, possessiones tui beneficii superant: An vero negotium unico contractu absolvatur, et dicatur; permuto tecum parochiam incorporatam, ita tamen, ut excessum, quo possessiones parochiæ mihi incorporatæ possessiones parochiæ tibi incorporatæ superant, pecunia recompenses: æque enim in hoc simplici, ac in illo duplici contractu apparet, quod excessus præcise detur pro temporalibus possessionibus, et non pro jure spirituali, sicque omnis absit species simoniæ, id, quod solum jura desiderant.

28. *Sunt, qui putant etiam in beneficiis quoad titulum possessis fieri posse permutacionem ita, ut pinguis recompensetur pecunia.* — Quæritur VI. An pariter in permutacione duarum præbendarum, seu beneficiorum quoad titulum, quorum unum pinguius habeat redditus, quam alterum, excessus unius in redditibus suppleri possit pecunia, aut alia re temporali, sicut fieri posse diximus in permutacione eorundem quoad proprietatem possessorum? Nec desunt doctores affirmative respondentes, inter quos est Angelus, *¶ Permutatio.* n. 6; Lessius, lib. II. *de Justit. et Jur.* cap. XXXV. n. 101; Sylvester, *¶ Permutatio.* 2. q. 6; Cajetanus, et alii, quibus communiter etiam annuerant Abbatem, in cit. c. *Ad quæstiones.* n. 3. sed immerito, cum Abbas ibidem expresse loquatur de permutacione præbendarum quoad proprietatem, ut aperte liquet tam ex summano, quam ex contextu ejusdem. Verum quidquid est de probabilitate hujus sententiæ:

29. *Statuit in sententia negativa.* — Resp. I. Ad quæsitum negative. Ita Barbosa, in cit. c. *Ad quæstiones,* h. t. n. 1. dicens opinionem contrariam « esse falsam, periculosam, plenamque fraudibus, et dolis. » Covarruvias, lib. I. *Variar. resolut.* cap. v. n. 9; Navarrus, *Manual.* cap. xxiii. n. 100; Zoesius, h. t. n. 18; Vallensis, eod. n. 4; Engel, eod. n. 4, et communis aliorum, quibus et nos in *Theologia nostra morali,* tract. 11, dist. 2. q. 5. n. 50. jam adhæsimus. Ratio autem conclusionis simul et disparitatis inter permutacionem duarum Ecclesiarum quoad proprie-

tatem, et duorum beneficiorum quoad titulum est; quia in priori permutacione duo intervenire possunt contractus ab invicem separati, quorum uno ipsa beneficia, seu jura spiritualia, altero vero jura temporalia possessionum, agrorum, prædiorum etc. permutantur, arg. c. *Ad quæstiones.* h. t. vel si unico contractu permutatio absolvitur, potest saltem peti compensatio pro excessu possessionum independentem a jure spirituali, eo quod permutantes habeant perfectum jus et dominium in tales possessiones temporales.

30. *Confirmatur.* — Secus est in altero casu: cum enim beneficiatus beneficium in titulum possidens non habeat dominium possessionum, agrorum, prædiorum beneficii, sed solummodo jus percipiendi redditus ex ipsis: neque sit dominus reddituum futurorum, sed eos primum acquisiturus sit sub conditione, si nempe beneficium retineat, atque debita officia præstet, jam non potest ratione possessionum aut reddituum percipiendorum specialem contractum instituere, vel ratione illorum, utpote quæ ad illum non spectant, et ad quæ jus non habet, aliquam compensationem temporalem exigere, vel pacisci; consequenter si nihilominus facit, pro ipso beneficio, seu jure spirituali temporale exigat, sicque Simoniam committit.

31. *Solvitur fundamentum adversariorum.* — Et per hoc patet ad fundamentum adversariorum, qui paritatem in utroque casu extorquere nituntur. Sunt etiam qui putant, exigi posse compensationem temporalem non pro excessu, qui remanet annexus ipsi titulo, sed incommodo temporali, quod quis subit, spoliando se majoribus redditibus futuris, et spe illorum. Sed contra est, quod futuri majores redditus, et spes eorundem percipiendi habeant dependentiam, et connexionem ad beneficium, cum sint accessorium beneficii; unde urget illud can. *Si quis objecerit.* caus. 1. q. 3. « Quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit. »

32. *Confirmatur ulterius.* — Confirmatur conclusio, et responsio nostra: si uti volunt adversarii, beneficium, possessum, vel possidendum quoad titulum potest separari a redditibus, sequitur manifeste, quod possit quis beneficium suum vendere, vel pro eo aliquid temporale accipere; si nempe dicat; beneficium, seu jus spirituale tibi gratis tribuo; pro redditibus vero, seu spe illorum,

vel pro incommodo temporali, quod subeo, spoliando me futuris redditibus, exigo tantam quantitatem pecuniæ, etc. Atqui hoc juxta omnes etiam adversarios simoniacum est; ergo. Sequeretur item, quod idem facere possent collatores beneficiorum, dicendo beneficium se gratis conferre, pro redditibus vero utpote separabilibus in sententia adversariorum, tanquam pro emolumento temporali, quod conferre tibi non tenerer, peto compensationem temporalem; quod rursus simoniacum, et ab Alexandro VII. An. 1665. damnatum est; dum inter alias etiam sequentem ordine 22. propositionem damnavit. « Non est contra justitiam, beneficia ecclesiastica non conferre gratis; quia collator conferens illa beneficia ecclesiastica, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur. »

33. *In permutacione beneficiorum potest dimittenti pinguis beneficium constitui pensio.* — Cæterum prædictis non obstantibus potest auctoritate episcopi constitui pensio solvenda illi, qui permutando pinguis beneficium dimittit. non quidem pro compensatione excessus, ob rationem jam dictam, sed ob aliam causam justam et rationabilem, v. g. quia fit commutatio ob bonum commune, aut bonum pacis privatæ, aut quia pensionem præterens est infirmus, vel ætate decrepitus. Barbosa, loc. cit. n. 3; Navarrus, *de Simon.* consil. 43, n. 3; Piasec., in *Praxi episc.* p. 2, cap. v. n. 123; Engel, h. t. n. 4. et alii. Vide quæ de pensionibus diximus supra tit. XII. *Ut Beneficia ecclesiastica sine diminut.* § 4. per totum.

34. *Permutare possunt omnes, qui specialiter non prohibentur.* — Quæritur VII. Quinam permutare possint? Resp. I. Permutacionem rerum temporalium facere possunt omnes, qui a natura, vel a jure specialiter non prohibentur. Communis ac certa; quia in materia communiter non prohibita, « concessum intelligitur, quod expresse non prohibetur, » uti habet Glossa communiter recepta in c. *Inter corporalia.* *¶ Non invenitur.* de *Translat. episc.* Permutare a natura prohibentur carentes usu rationis, quales sunt amentes, furiosi, infantes etc. hi enim sicut ab omni contractu, ita et permutacione excluduntur, prout amplius diximus lib. I. tit. XXXV. *de Pactis.* §. 2.

35. *Qui emere et vendere non possunt, nec*

permutare possunt. — A jure prohibentur permutare, qui de jure vendere et emere non possunt. Ratio est; quia « Permutacionem — vicem emptionis obtinere non est Juris incogniti, » lib. II. c. h. t. Hinc quia nec clerici lucri causa, nec pupilli aut minores absque auctoritate tutorum, aut curatorum emere ac vendere possunt ita nec permutare valent. Pariter sicut bona pupillorum aut minorum absque judicis auctoritate sibi comparare non possunt curatores, et tutores, prout tit. XVII. n. 23. et seqq. *de Emptione et vendit.* diximus, et ex jure probavimus, ita nec permutacione id facere queunt.

36. *Res ecclesiasticas permutare possunt, qui eas alienare possunt.* — Resp. II. Permutacionem rerum ecclesiasticarum facere possunt omnes, et soli, qui easdem res alienare possunt. Communis. Ratio est; quia permutacione est species alienationis c. *Nulli.* 5. *de Rebus Eccles. alien.* Quinam autem res ecclesiasticas alienare valeant, vide supra tit. XIII. *de Rebus Eccles. alienand.*

37. *De permutacione beneficiorum. Remissive.* — Pertractant hic amplius doctores materiam de permutacione beneficiorum. Verum quia nos de hac sufficienter jam egimus supra lib. I. tit. IX. *de Renuntiatione,* § 4. a. n. 82. ideo hic nihil repetimus, sed illuc lectorem remittimus.

38. *Propter gravem causam potest episcopus cogere beneficiatum ad resignandum.* — Solum, quod ibidem desiderari posset, est, quod episcopus subinde possit etiam cogere clericum ad permutandum cum alio beneficio, si nempe gravis id causa postulet, vel quia beneficiatus minus est idoneus ad præstanda numerata beneficii hujus, vel in hoc loco etc. Abbas, in c. *Quæsitum,* 5. h. t. n. 7 et 8. Innocentius, in c. *Nisi de Renuntiat.* Engel, h. t. n. fin. Parisius Flamin., *de Resignat. benefic.* n. 161, et seqq. arg. cit. c. *Quæsitum.* § fin. ubi ita statuitur: « Si Episcopus causam inspexerit necessariam, licite poterit de uno loco ad alium transferre personas, ut quæ uno loco minus sunt utiles, alibi se valeant utilius exercere. »

39. *Etiam si beneficiatus sit sine culpa. Bonum commune præferendum est privato. Propter scandalum relaxanda, ac dimittenda sunt jura.* — Procedit doctrina, etiam si causa absque culpa beneficiarii eveniat, v. g. exurgat gravis aversio et odium populi adversus parochum, ita ut hujus verba nihil amplius fructificent, populus divina contemnat, vel

scandalum nascatur etc. ut apud Abbatem citatum bene observat Innocentius, loc. cit. Ratio est; quia bonum publicum debet præferri privato, can. *Scias*. 39. caus. 7. q. 1. ibi: « Nam plurimorum utilitas unius utilitati aut voluntati præferenda est; » et ad extinguendum scandalum atque pro bono pacis relaxanda sunt juris præcepta, can. *Si forte*. 36. dist. 63. et ibi Glossa, §. *Ita tamen*, item can. *Ut constitueretur*. 25. ad finem. dist. 50. etc. *Nihil prodest*. 2. de *Præscription*. ubi Glossa, §. *Nihil cum scandalo*, ait: « Propter scandalum desistendum est a jure suo. » Ac docet cum S. Joanne a Capistrano, in c. *Manifesta*. de *Pœnitent*. et *Remission*. n. 43. Flaminus Parisius loc. cit. n. 165.

40. *Si alia via juvari potest, nullus cogendus est ad permutandum*. — Intellige, si alia via succurri non possit; enim vero quandiu alia via juvandi restat, v. g. posset succurri malo per assignationem coadjutoris, non posset beneficiatus invitus cogi ad permutandum. Abbas, loc. cit. Porro si alia ratione malum tolli nequit, æquum est, ut illi, qui absque culpa sua beneficium pinguius dimittit, assignetur pensio, vel alia compensatio, uti notat Abbas, loc. cit. Flaminus Parisius, loc. cit. n. 176. ac concordant dicta n. 33. (ADNOTATIO XXV.)

TITULUS XX.

De Feudis.

1. *Ratio continuationis rubricæ*. — Præcedentem titulum præsens sequitur: tum quia feudum in multis assimilatur emphyteusi, de qua in præcedenti titulo actum est: tum quia etiam per feudum transfertur dominium saltem utile rerum, indeque alienationis speciebus, de quibus hactenus copiosa erat quæstio, annumeratur, materiam de feudis sacri canones brevissime, duobus nempe, iisque brevibus capitulis absolvunt: jus civile vero eam duobus integris libris, et plurimis titulis pertractat. Quapropter legistæ magna commentariorum volumina de eadem scripsere. Nos ea, quæ scitu utilia magis vel necessaria videbantur, seligemus. Ponitur itaque.

§ I.

DE ORIGINE, NATURA, ET DIVISIONE FEUDI.

2. *Controversia doctorum de origine feudi*. — Quæritur I. Unde originem trahat, et derivetur feudum? Resp. I. Quamvis gravissima inter doctores sit controversia de origine feudi; cum aliqui cum Xasio, in l. II. §. *Curias*. ff. de *Orig. juris*. et Caciac., in *Commentar.* ad lib. *Feud*. in princ. velint, feuda ex antiquo Romanorum jure originem habere. Alii cum Luca de Penna, in l. *Quicumque*. c. de *Omni agro desert*. lib. XI. doceant, feuda tempore Justiniani coepisse. Alii dicant feuda a Gallis ad Germanos, Italos, Hispanos, et alias Europæ provincias venisse, uti videre est apud Fachin. lib. VII. cap. I. ubi singulas opiniones examinat.

3. *Probabilis a Longobardis originem trahit*. — Nihilominus communior ac probabilior tenet, feuda originem habere, ac primitus concessa fuisse a Longobardis, qui Italiam occuparunt, diuque possederunt, natione cæteroquin Germani, vel Germanis vicini. Fachin., lib. VII. cap. I; Harprecht, in *Annotat. ad Jul. Clar.* in § *Feudum*. q. 1. n. 11; Heig., part. I. Engel, h. t. n. 1. et complures alii. Ratio est; tum quia in libris feudorum passim fit mentio Longobardorum, et legum Longobardicarum, veluti lib. I. tit. I. *Feudi cognitione*, item lib. II. tit. VIII. de *Investitura*, rursus lib. II. tit. LVIII. de *Notis feud*. et alibi; tum quia in iisdem libris plura reperiuntur vocabula Germanica, ut *morganatica*, *marchia*, *marchio*, prout bene observat Fachin, loc. cit.

4. *Ly feudum derivatur a fide seu fidelitate*. — Resp. II. Ipsum nomen feudum derivatur a fide, seu fidelitate. Rosenthal, cap. I. de *Feud*. concl. 7, lib. I. Engel, h. t. n. 2. et communis aliorum. lib. II. *Feud*. tit. III. *Per quos fiat investitura*, ibi: « Cum a fidelitate feudum dicatur, vel a fide, » quæ verba, cum sint clara, audiendus non est Fachin., loc. cit. dicens, errare eos, qui putant *Ly Feudum*, a fide, seu fidelitate derivari. Ratio autem est, quia natura feudi proprii est, obligare feudarium, ut specialem exhibeat fidelitatem erga dominum suum directum, cujus est vasallus; cit. lib. II. tit. III. *Per quos fiat investitura*, ut dicitur. « Nulla investitura debet ei fieri, qui fidelitatem facere recusat. »

5. *Feudi varia acceptio. Feudatarius, et dominus directus quinam*. — Quæritur II. Quid

sit feudum? Ante responsonem notandum feudum subinde sumi pro ipso contractu feudali, quo res in feudum datur: subinde pro jure, quod ex contractu feudali, feudario, seu vasallo nascitur: subinde vero ipsa re, quæ in feudum conceditur. Ille, qui rem in feudum concedit, dicitur dominus directus, item dominus Feudi, Germanis *Lehen-herr*: qui accipit, vocatur vasallus, item feudatarius *Lehen-Mann*, oder *Lehentrag*: res autem, quæ in Feudum conceditur, res feudalis, item simpliciter etiam feudum, Germanis *Lehen-Gut*, vel simpliciter *Lehen* appellatur. In præsentem agemus quidem de feudo in quamvis acceptatione considerato, principaliter tamen de feudo, prout sumitur pro ipsa re in feudum concessa, in quo sensu nunc feudum definiendo.

6. *Feudum definitur*. — Resp. I. Feudum proprie dictum est res immobilis, vel æquivalens, alicui quoad dominium utile liberaliter, et perpetuo concessa sub onere fidelitatis et obsequii personalis præstandi. Ita in re communis ac certa: atque desumitur ex § fin. lib. II. *Feud*. tit. XXIII. ubi ita describitur: « Est beneficium illud, quod ex benevolentia ita datur alicui, ut proprietates rei immobilis beneficiatæ penes dantem remaneat: usufructus vero illius rei, ita ad accipientem transeat, ut ad eum, hæredesque suos masculos, sive fœminas (si de his nominatim dictum sit) in perpetuum pertineat, ad hoc, ut ille, et sui hæredes fideliter domino serviant. » Ex quo textu, quamvis clare pateat bonitas definitionis nostræ, nihilominus pro majori ejusdem claritate explicantur singulæ particulæ:

7. *Debet esse res immobilis. Jura incorporalia immobilibus comparantur*. — Dicitur ergo primo, « Res immobilis, » v. g. *Castrum*, *prædium*, *ager*, *vineæ*, etc. res enim mobilis feudum esse nequit, arg. cit. lib. II. tit. XXIII. ibid: « *Rei immobilis*. » Additur autem « vel æquivalens: » cujusmodi sunt jura incorporalia, quæ immobilibus accensentur, qualia jura sunt piscandi, venandi, lignandi, decimandi etc. arg. I. et § fin. c. de *Præscript. longi temp.* juncta Clem. 1. de *Rebus eccles. non alien.* item census, et redditus annui, Clem. *Exivi*. § *Cumque annui*. de *V. S.* ibi: « *Cumque redditus annui inter immobilia censeantur a jure*: » hæc enim æque ac immobilia proprie talia, utpote quibus æquivalent, in Feudum dari possunt, ut habet communis doctorum.

8. *Per feudum transfertur solummodo dominium utile, liberaliter tamen et perpetuo: in quo differt ab emphyteusi*. — Dicitur « quoad dominium utile; » quia sicut emphyteuta, ita et feudatarius solum dominium utile, nullatenus autem proprietatem rei feudalis habet claris verbis textus citati, « ut proprietates rei immobilis penes dantem remaneat: usufructus vero ad accipientem transferatur. » Dicitur « liberaliter; » quia feudum est beneficium ex benevolentia datum; per quod differt ab emphyteusi, in qua domino directo ab emphyteuta præstari debet canon annuus; unde si etiam in feudo annua pensio constituatur, prout nonnunquam fieri solet, jam feudum proprium non est, sed improprium. Dicitur « perpetuo, » quia feuda proprie dicta non præcise ad certum tempus vel generationem, uti aliquæ saltem emphyteuses, sed perpetuo conceduntur, ita ut etiam ad feudatarii « hæredes in perpetuum pertineant, » prout loquitur textus. Quapropter si quod feudum ad certum tantaxat tempus reperitur concessum, feudum improprie censi debet.

9. *Feudatarius obligatur ad fidelitatem et obsequium personale*. — Dicitur tandem « sub onere fidelitatis, et obsequii præstandi; » quia principale onus et obligatio feudatarii est, ut domino directo, a quo tantum beneficium accepit, sit fidelis, et nunquam aliquid contra eum machinetur, sed potius consilio, et auxilio adjuvet præsertim euntem ad bellum personaliter sequatur, vel alium sui loco, « domino acceptabilem mittat, vel dimidium redditus feudi unius anni domino submitret pro belli expensis » lib. II. *Feud*. tit. LV. § 1. de *Prohibita feudi alienatione*. Unde si feudatarius ab his oneribus liber, aliis gravatur oneribus, vel obligationibus, feudum improprium est.

10. *Si habet feudum proprium*. — Dicitur autem notanter in conclusione: « Feudum proprie dictum, quia dantur hodie plurima feuda, » quibus definitio data quoad omnes particulas non convenit, quæ proin feuda improprie vocantur. De quibus statim infra.

11. *Feudum dividitur varie, primo in proprium ac improprium. Utriusque descriptio*. — Quæritur III. Quotuplex sit feudum, et quomodo dividatur? Resp. I. Feudum multiplex est varieque dividitur. Et quidem primo in feudum proprium et improprium. Proprium est, quod supra descripsimus. Improprium